

P R Æ F A T I O.

tem & à vi ac sanguine abhorrent, controversias tamen omnes averfantur, quia per eas sanctimonia ac pietatis studium labefactari, ac tantum non pessumdari clamant. Simplicem, carbonariam, ac non contentiosam veritatē amare se dicunt, & doctam esse ignorantiam, quæ litibus caret ac diffidijs. Horum studium etsi libens, ceteris pretulerim, tamen multum vereor, ut ex eodem cum ceteris fonte originem ducat. Vix enim fieri posse videtur, ut qui seriò, veræ pietatis ac sanctimonix studio ducitur, non eas saltem controversias sollicitè excussas, ventilatas, trutinatas cupiat, per quas fieri videt, quominus studiū pietatis & sanctimonix inter plures vigeat; aut si quod viget, quominus istud rationale pietatis studium censerī debeat. Si Spinosas, si non necessarias, si inutiles, si noxias controversias averfarentur ac fugerent, utique cum manifesta ratione conjunctum foret eorum studium. At cum omnes simul uno ore damnant, & nescio quam simplicitatem & doctam ignorantiam affectant; fieri vix potest, quin alius affectus in causa sit, quam pretenditur. Mollities animi subesse mihi videtur, quam propriæ quietis tranquillitatis atque otij amor de se gignit. Nempe molestum, grave, laboriosum ac difficile est, in arcana ista controversiarum descendere, errorum atque impietatū quæ ex erroribus nascuntur, angulos ac recessus perreptare, strophas, artes, tricas ac nodos quibus reguntur ac retinentur, detegere, diluere, explicare ac solvere. At quis enim aut veritatis piæ studiosum, aut pietatis veræ amatorem censuerit, qui veritatem, quæ secundum pietatē est, arctissimis pravarū opinionū cōpedibus vincatā solvere, laborē credit? qui pietatē gementē sub jugo impiorū errorū, non eripere, non in libertatē adferere meliorum rationū ope atq; auxilio, pietatem putat? Enimverò si isto seculo viveremus, quo veritas non laboret sub profanis erroribus, aut sub ijs nō usque adeo laboret, quin puro puto silentio meraq; controversiarum abstinentia, ut morbi quidam pertinace inedia, liberari

berari